

# MELISSA

EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - B-1040 BRUXELLIS. Tel. (02) 735 04 08. Telecop. (02) 735 51 32

Editor responsalis: Gaius LICOPPE - Compositrix: Francisca DERAEDT - [guy.licoppe@pophost.eunet.be](mailto:guy.licoppe@pophost.eunet.be)

Bureau de dépôt: 1040 Bruxelles 4 - Afgifte kantoor: 1040 Brussel 4

## Melissa vobis proponit :




- ... recordationes aestivas ☞ p. 2
- ... historiam architecturae Mahumetanae ☞ p. 4
- ... experientiam didascalicam ☞ p. 5
- ... elegias et epigrammata XVII saeculi ☞ p. 6
- ... commentationem grammaticam ☞ p. 8
- ... historiam venenorum ☞ p. 12
- ... carmina, libros, ludos ☞ p. 14
- ... de pronuntiatu narratiunculam ☞ p. 16

*Vesalius et amicus eius Gemma Frisius adiutores  
quaerunt, quibus augeant scientiam suam...*

*In: G. VANPAEMEL, T. PADMOS (red.),  
Wereldwijs. Wetenschappers rond Keizer Karel,  
Leuven, Davidsfonds, 2000, p. 157. De hoc libro  
agetur in quodam proximo fasciculo.*

## DE AESTATE LATINISSIMA

**A**nno 1973, eodem quo ipse fortuito inveniebam quandam Latinitatem vivam adhuc exstare, Dr P. Caelestis Eichenseer coepit seminaria moderari, quibus loquela Latina ad res cottidianas spectans traderetur et exerceretur. Vix alia occasio tunc praebebatur eis, qui usum sermonis Latini recuperare cupiebant.




*Seminarium Belgicum: P. Caelestis Eichenseer inter abbatae Maredsolanae lustrationem Latine colloquitur cum Patre bibliothecario.*

Post quadrantem saeculi gaudendum est quod propugnatorum conatus non fuerunt infructuosi. Tot enim nunc praebentur occasiones linguae Latinae exercendae, ut nemo omnes participare valeat.

Certe omnes coetus Latini non sunt eiusdem generis. Haec autem varietas necessaria est propter ipsam Latinistarum diversitatem.

De conventiculo, quod Prof. Terentius Tunberg Lexintoniae in America instituit, in Melissa fasciculo 97 iam rettulimus; hoc conventiculum praecipue spectat ad magistros linguam Latinam docentes, qui suam institutionem magis attractivam facere cupiunt. Tam prospere successit hoc recens inceptum, ut rectores Universitatis novum professorem mox sint mercede conducturi, qui fiat Terentii socius et adiutor. Res nostris temporibus inaudita: a candidatis exigitur ut valeant bene Latine loqui!

Feriae Latinae, quas in Provincia ante viginti fere annos Clemens Desessard pro Prof. Suitberto Siedl instituere coepit, semper fuerunt attractivae propter ipsum Provinciae situm et amoenitatem sedum, quas Clemens Desessard invenit. Professor tamen Siedl institutionem parum curabat atque post paucos annos, valetudine deficiente, Feriae Provinciales iam non participavit. Quare Feriae amatoribus Latinitatis praesertim fuerunt occasio gaudenter conveniendi et sermocinandi. Acroases audiebantur, sed vix quicquam praebebatur, quo participes ad convenienter Latine loquendum et pronuntiandum exerceri possent. Iohannes Claudius Champeau, qui de Feriis ordinandis nunc una cum



*Inter seminarium Siciliense attentissimi: Iosephus Maria Sánchez, Wolfgang Jenniges, Aloisius Miraglia, Elisa Caruso*





*Inter seminarium Belgicum: Victorius Ciarrocchi,  
Georgius Goerdts, Franciscus Fierens*

Clemente Desessard curat, hanc lacunam comperit, quam tollere in animo habet. Hoc anno circiter triginta fuerunt participes ex undecim nationibus oriundi. Interfuerunt etiam iuvenes qui Septimanam Amoeneburgensem antea participaverant. Quae Septimana, cuius patronus est Prof. Nicolaus Sallmann, praecipue iuniores allicere solet.

Ineunte mense Augusto habitum est seminarium, quod pro Societate Latina anno 1983 in Belgica instituere coepi. Abbatia Maredsolana fuit nova seminarii sedes, quae plerisque videtur placuisse. Hic praecipua Doctoris P. Caelestis Eichenseer cura est optimum exemplum pronuntiatum Latini praebere participesque adducere ad sententias, licet breves, vere Latine confingendas. Ante nonnullos annos moderatoris cooperatrix Doctrix Sigrides Albert tirones cottidie seducere coepit, quibus per binas horas ludos et lectiones proponere solet. Quod inceptum ab initio multum


placuit. Hoc anno valde gavisus sumus quod inter triginta circiter participes interfuerunt duo Brasiliiani.

Nobis ultima huius anni statio Latina non fuit minima. Post longum iter, autocinetovecti ad extremum occidentalem angulum Siciliae pervenimus. Ibi in summo monte Eryce 750 metra alto invenimus villam Sancti Iohannis, quam Professor Georgius Di Maria elegerat ut sedem seminarii. Re vera locus amoenior et seminario habendo magis idoneus vix potest inveniri. Inde patet ingens prospectus ad campos, montes, litus et mare. Tempestas propter altitudinem non est aestuosa. Hospitium est commodum, alimonium varium et copiosum; ministri sunt affabiles et etiam aedium procurator est Latinista. Circiter triginta fuerunt participes, quorum sermonis vivi scientia erat valde diversa. Cottidie fiebat acroasis et disputatio de argumento tractato. Tres factae sunt a professoribus academicis, Georgio Di Maria, Theodorico Sacré, Terentio Tunberg, qui sine verecundia favent Latinitati vivae. Non pauci participes erant alumni viginti circiter annorum, quibus praebebantur variae exercitationes Latine loquendi. Alii interea in alio circulo disputaverunt de vocabulis adhibendis ad res hodiernas significandas, unde patuit cum multas lacunas adhuc esse complendas tum consensum omnium de nonnullis vocabulis non facile obtineri.

Hi sunt quattuor coetus Latini, quos participare valuimus. Alii etiam fuerunt, quibus interesse infeliciter nequivimus, sicut seminarium Opoliense, de quo nonnulla comperimus ex ore Georgii Di Maria, qui ibi adfuerat.

Ergo quis negare potest Latinitatem vivam intra quadrantem saeculi multum esse dilatam? ☛

Gaius LICOPPE



*In Sicilia:  
Ferdinandus Gracia,  
Rosa Menna,  
Georgius Di Maria,  
Laura Masotti*

# DE MAHVMETANAE ARCHITECTVRAE

## ORIGINIBVS (IV)

SCRIPSIT GAIVS LICOPPE

« Damascus - Deus excelsus eam servet! - Damascus, Orientis Paradisus, unde radiat lux, sigillum orbis Islamici, iuvenis nupta, fragrantibus ornata floribus... » His poeticis verbis incohatur Damasci descriptio, quam admiratione compulsus exeunte XII saeculo panxit viator Ibn Jubair, tempore quidem quo Damascus diu iam non erat imperii Arabici caput.

Damasci splendor celebrabatur non solum propter amoenissimos hortos, quibus urbs erat circumdata, sed praecipue propter magnificentiam meschitae Omeiadum, quae vocatur. Haec primis erae Mahumetanae saeculis habebatur ut octavum mundi miraculum.

Exstructa est ab anno 706, iussu califae al-Walid (705-715), qui meschitam al-Aqsa etiam curavit exstruendam. Ut supra iam diximus, meschita al-Aqsa sola totius Syriae Palaestinaeque habet formam basilicae Byzantinae. Meschita Damascena etiam habet formam singularem, de cuius origine architecturae historici multum disputant.

Ad hanc singularitatem melius intellegendam, necessarium est excursus facere per Medinam, ubi domus Mahumeti est meschitarum prototypus.

Ineunte septimi saeculi Arabes vix habent architecturam. Plerique palantes ut Nomades sub tentoriis pernoctant; oppidani autem aedificia crudis friabilibusque lateribus exstructa habitant. Mahumeti domus tunc constat e muro, quo circumdatur area quadrata. Eius orientali lateri apposita sunt parva cubicula. Secundum meridionale latus instructa est rustica porticus palmis tecta et palmarum stipitibus fulta. Maxima areae pars est sub divo atque usibus domesticis destinatur, sed ibi Mahumetus suorum fidelium preces dirigere solet atque, hasta in solum infixam, contionem habet.

Haec domus post Mahumeti mortem imprimis habitata est ab eius primo successore Abu Bakr, sed ab anno 674 facta est locus sacer, in quo ipse Mahumetus est sepultus.

Primae meschitae similes sunt Mahumeti domui, sed a regno califae al-Walid optimis architectis mandatur, ut novas meschitas magnifice exstruant.


Ab anno 706 meschita Damascena aedificatur una cum meschita Medinensi, quae fiet exemplum architecturae meschitarum postea condendarum. Nonnullae specificae partes ibi sunt, quae in posterioribus meschitis invenientur fere immutatae. Hae sunt:

- aula porticu circumdata;
- magna pars tecta precibus apta;
- unus ex exterioribus muris spectans ad Meccam; hic est murus «qibla» vocatus, secundum quem exstruitur pars tecta;
- aedícula semicircularis «mirhab» vocata et in muro «qibla» instructa;
- minareta, i.e. turres unde Mahumetani ad precandum vocantur; videbimus postea cur minareta originem trahant e meschita Damascena;
- «minbar», quod in memoriam revocat sedem, qua Mahumetus utebatur cum homines ad suam aurem admittebat.

In meschita Damascena hae omnes partes adsunt, sed pars tecta habet quandam singularitatem, de qua in proximo fasciculo tractabitur.



(continuabitur)



*Ichnographia  
domus Mahumeti  
Medinae*



*Ichnographia  
meschitae Medinensis  
iussu Omeiadibus  
exstructae*



# DE METHODO VIVA

## IN QUADAM SCHOLA ADHIBITA

SCRIPSIT IOHANNES VAN KASTEEL

**A**nte quattuor annos in Instituto Sanctorum Petri et Pauli Bruxellis sito fieri inceperunt lectiones linguae Latinae vivae, moderantibus *tribus* magistris - mirabile dictu! - qui methodo viva se docere posse professi sunt. Discipuli qui tunc temporis tredecim quattuordecimve annos nati Latine loqui coeperunt, nuper studiis scholaribus peractis Institutum reliquerunt. Tempus ergo bonum videtur inquirendi quid, vel melius quantum, eis profuerit illud studium vivax.

Imprimis numeranda sunt omnia quae quattuor per annos modo *vivo* discipuli fecerunt. Nam inter senas horas septimanatim linguae Latinae consecratas, quaternis usi sunt ad regulas grammaticales et stylisticas discendas necnon scriptores antiquos, interdum etiam moderniores, legendos modo *tradito* qui dicitur; binis autem ad methodo viva fruendum. Quo modo legerunt multos textus a Iohanne Ørberg compositos, excerptos e *Lingua Latina*, prima parte (*Familia Romana*) necnon secunda (*Roma aeterna*); exercitia grammaticalia ab eodem confecta; librum c.t. *Makita* a Belga Iohanne Capart scriptum et a Francisca Deraedt tam optime et iucunde Latine versum; poemata minoris difficultatis, e.g. Ovidii, Martialis, Catulli, Phaedri, Prudentii, etiam poetarum modernorum, e.g. Guidonis Vitali; alios textus satis faciles lectu necnon cuiusdam momenti, excerptos e *Melissa*, e.g. *Cur nox sit nigra* (n. 64), *De nave Sancti Didaci* (n. 66, 67, 68), *De theatro chemico* (n. 78); fecerunt ludos multi generis; etc. Haec omnia solum *Latine* loquendo, legendo, auscultando, interrogando, explanando, disputando, vix scribendo, *numquam* Francogallice vertendo.

Mihi hodie persuasum est methodum vivam plurimum attulisse ad linguam Latinam discendam:

- multa vocabula statim et quasi naturaliter intelleguntur, et multo melius memoria tenentur quam si modo «mortuo» sensus eorum explanaretur et inveniretur;
- tropi grammaticales et stylistici facilius adhibentur: e.g. modus irrealis qui dicitur; adverbia et particulae, e.g. *num?*, *-ne?*, *quin?*, *immo* et multa alia;
- textus longiores licet intellegere *grosso modo*, ut ita dicam, etiam si omnia vocabula non bene nota

sunt: mirabile est visu quot sententias satis difficiles discipuli statim modo *intuitivo* intellegant.

Certe haec omnia fortasse tam bono successu indigerent si discipuli non modo traditionali quoque acquisivissent elementa Latina necnon ea iterum iterumque saepe scribendo et Francogallice vertendo exercuissent. Altera ex parte *versio* manet exercitium optimum cui aliud meo sensu substitui non possit, quia omnes facultates mentales et intuitivae discipulo adhibendae sunt ad subtilitates textuum intellegendas et in aliam linguam restituendas. Sed ita duae methodi videntur complementariae ut qui eas separare velit, valde erret.

Hoc pro certo dicere velim: discipuli qui modo etiam vivo fructi sunt, Latinius, ergo humanius, docti sunt quam qui solo «mortuo» instituti sunt. Multo plures textus legere et eos melius intellegere valent quam discipuli qui ante methodum vivam adhibitam humaniora sua peregerant. Cuius rei argumenta afferre placet.

Anno nuper praeterito discipulis singulis classis Rhetoricae, ad ultima examina paranda, erat discenda singula Ciceronis oratio in Catilinam. Quod omnes facere *optime* valuerunt inter tempus *brevissimum*, sine scribendo, tantum modo orali vertendo. Ex quo luce clarius patet methodum vivam eis tantum profuisse ut non timerent praeparationem eius generis, quia didicerunt scriptores Latinos modo re vera *cursivo* legere.

Deinde, aliquot discipuli Instituti ante nonnullos menses participaverunt prima vice sessionem *Domus Latinae*; inter quos erat «vetus» discipulus, i.e. qui solum duos per annos Latine modo vivo didicerat et per duos annos sequentes non iam Latine nec locutus est nec legit. Omnia autem quae inter sessionem audivit, optime intellexit; quod est eo mirabilius quod tunc multa dicta sunt de theoriis physicis, de neuronibus corporis humani ceterisque rebus satis difficilibus.

Quid plura? Nonne linguam Latinam quasi mortuam docere, sicut adhuc in plerisque scholis fit, tam ridiculum videtur quam musicam docere tamquam mortuam? Si quis acciperet musicam hodie dici «mortuam» et esse discendam exercendamque sine instrumentis adhibendis neque audiendis, nonne multum rideret... vel potius ploraret? ☹️

# ELEGIAE ET EPIGRAMMATA

## IULIANI WAVDRAEI [II]

SELECTA A THEODORICO SACRÉ

E *Libro monosticorum* (Francofurti, 1645)

1. Praesumptuoso (nr. 1834)

Electum caelo non te fer: littera tantum  
si cadat, eiectum nigra sub antra feres.

2. Cocliti (nr. 1802)

Me citius, Cocles, nosti dormire: poetae  
est claudenda duplex, una fenestra tibi.

3. Pecunia (nr. 1701)

Cuncta tibi res stat si cuncta pecunia restat;  
nulla tibi res stat si semel ista cadat.

4. De se (nr. 1650)

Declinare malum per sex tantummodo casus  
cur puer edidici? Sunt modo mille mihi!

5. De magistris suis (nr. 1637)

Declinare bonum qui me docuere magistri  
dicentur vere nonne fuisse mali?

6. De adolescente, qui apud Patres Societatis litteras humaniores docuerat, suspenso Montibus (nr. 1244)

Romanas voces cunctas mirare scientem  
declinare malam non potuisse crucem.

7. Mecoenati [= *Maecenati*] (nr. 1600)

Nosti, Mecoenas, me coenas spernere; coenas  
noveris incoenas Ditis adire senes.

8. Statuario (nr. 1511)

Quas facis, has quivis statuas miratur hiatque  
et statuam statuas se facit ante tuas.



9. De amoribus infirmis (nr. 1418)

Quos parit utilitas vel honor, vel corpus amores,  
floribus et nebulis dic nivibusque pares.

10. Cuidam (nr. 1396)

«Non parit uxor», ais, «valde tamen uritur»: aret  
terra calet nimium quae madefacta parum.

11. Amicus et amica (nr. 1256)

Scribimus occulte nos sicut amamus utrimque:  
cor p t, c do tibi; cor p to, c d mihi.

12. Fere omnes pereunt Venere (nr. 1618)

Creditur experto verax sententia mundo  
omnes penè [= *paene*] suo pene perire malo.

13. Coniux, virgo, vir (nr. 1816)

Coniugis	est	virtus	vir:	coniux	diligat	ipsum.
Virginis		virus		virgo	despuat	

14. Enna (nr. 1577)

Enna senex facie non amplius excitat ignes:  
apponit fucos ut struat inde focos.

15. Presbyteri, ancillae (nr. 1765)

Presbyteri caveant famulas sibi iungere pulchras:  
pulchra sacerdotis fabula fit famula.

16. Lente, laete (nr. 1409)

Procedas lente, si vis procedere laete,  
cunctaque pars horae sit sine parte morae.

17. Quis dives, quis pauper (nr. 1297)

Est sanus dives, non sanus pauper habendus;  
non sanis inopes esse probantur opes.

18. Gringalus, gibbosus (nr. 1427)


Saltitat ante tuum gibbosus, Gringale, plectrum:  
ut montes Orpheus movit et ipse moves!

19. De se, libro et Deo (nr. 1860, qui ultimus)

Nil mortale cano, me laus aeterna manebit;  
sit finis libro, gloria tota Deo. ☛

# REDDE HVC ISTA ACTA DIURNA !

SIVE DE VSV TRANSLATO ADVERBIORVM PRONOMINALIVM LOCALIVM LATINORVM  
SCRIPSIT ERICVS PALMÉN



«Redde *huc* ista acta diurna! An nimium flagito, si te rogo, ne animum tuum semper *alibi* pervagari sinas, sed vel aliquando exaudire digneris, quid uxor tua dicere velit?»

«Quid ais? *Alibi*? Quibus *aliis in rebus*? An *eo zelotypiae* descendis, ut animum meum, dum acta diurna lego, *in aliis mulieribus* pervagari suspiceris?»

**E**xente mense Novembri anni 1998 in Universitate Granivicensi dissertationem doctoralem defendi, in qua perscrutor, qua ratione adverbialia pronominalia localia Latina translate usurpentur (cf. Melissa 87/14.12.1998, p.8-9). Nunc Latinistis, ut spero, argumentum investigationis meae noscere studentibus pauca de problematis, quibus dicta adverbialia examinans occurri, disserere voluerim.

Primum quidem usitatissima quaedam illorum adverbiorum enumero: *hic, hinc, huc, illic, illinc, illuc, istic, istinc, istuc, ibi, inde, eo, ubi, unde, quo, alibi, aliunde, alio*. Quae cum in grammatica localia nuncupentur adverbialia, tamen nequaquam semper puram localem in sermone habent functionem. Immo saepe translata vi adhibita aut directe aut oblique ad res diversissimas, quin etiam ad homines referri possunt.

Exemplum concretum petamus ex hodierna vita familiari. Paterfamilias muneribus diurnis magno labore peractis hora circiter quinta postmeridiana domum revertitur ibique ab uxore carissima, ut par

est, accipitur. Viro ingresso uxor statim variis de rebus domesticis fusissime narrare incipit suasque in eum curas cumulat. Dum illa sine pausa loquitur, maritus nullo respondendi spatio dato actorum diurnorum recentissimum fasciculum in mensa iacentem in manus sumit et imprudens languidis oculis paginas eius inspicit. Repente uxor furibunda: «Redde *huc*», inquit, «ista acta diurna! An nimium flagito, si te rogo, ne animum tuum semper *alibi* pervagari sinas, sed vel aliquando exaudire digneris, quid uxor tua dicere velit!»

Ita in maritum invecta uxor iam bis adverbium locale translata vi adhibet: *Redde huc!* idem valet ac *Redde mihi!*, atque *alibi* a pura localitate paululum digressum fere elocutioni *in aliis rebus* respondet - nisi forte uxor illa *eo zelotypiae* descendit, ut animum mariti acta diurna legentis *in aliis mulieribus* pervagari suspicetur.

Huius generis iurgia coniugalia in multis familiis modernis facillime oriuntur; neque quicquam est, cur eadem a Romanis antiquis





omnino aliena fuisse arbitremur. In iis quidem Actis Diurnis, quae olim in urbe aeterna inde ab aetate Augusti edebantur, mulieres Romanae, quod sciamus, non tanta petulantia, quanta in quibusdam nostrae aetatis actis diurnis fieri solet, viris libidine laborantibus veneres suos commendabant.

\*  
\* \*

Exemplum, quod protuli, a me fictum est, sed pares fere elocutiones passim in litteris Romanis reperiuntur, praesertim apud comoediarum scriptores aevi archaici. In 'Aulularia' Plauti *Redde huc!* occurrit duobus locis (v. 634 et 651), item *Ostende huc!* (v. 640 et 649). In 'Eunucho' Terenti Thraso miles Thaidi meretrici ita imperat (796): «Pamphilam ergo *huc redde*, nisi vi mavis eripi!» Donatus grammaticus, qui quarto p. Chr. n. saeculo floruit, haec verba commentans ait: «*huc redde* idioma est pro contumelia reposcentis.»

In 'Hecyra', quae itidem una est e sex comoediis Terenti, Pamphilus adulescens ita queritur (v. 294-295): «Priusquam hanc uxorem duxi, habebam *alibi* animum amori deditum; / tamen numquam ausus sum recusare eam, quam mi obrudit pater.» Hoc in contextu nullum est dubium, quin *alibi* pro *in alia muliere* dictum sit.

Significationes diversae adverbiorum saepe tam obscuris limitibus inter se distinguuntur, ut in eis paene valeat versus Catullianus (Carm. 70,4) «in vento et rapida scribere oportet aqua». Rursus a Terentio exemplum profero. In comoedia 'Adelphoe' inscripta Demea senex acerbitatem suam his versibus effundit (866-868): «Ego ille agrestis, saevos, tristis, parcus, truculentus, tenax / duxi uxorem. Quam *ibi* miseriam vidi! Nati filii: / alia cura!»; ad quae Donatus grammaticus modo dictus haec adnotat: «*Ibi*, inquit, quasi uxor locus sit.» At nonne interpretatio Donati - scilicet *ibi* idem valere atque *in ea uxore* - mulieri iniuriam infert, cum omnem miseriam coniugalem ei tribuit? Nonne in priore versu Demea ipse partem culpa sibi suscipit - nonne prope confitetur sese virum nequaquam idoneum esse, qui omnino uxorem ducat? Ergo non necessario *ibi* ad solam uxorem refertur; aequaliter pro *in ea re* vel pro *in eo coniugio* vel temporaliter pro *tum* positum esse potest.

Alio loco eiusdem comoediae Micio, frater Demeae, haec facit verba (46-47): «Nati filii / duo; *inde* ego hunc maiorem adoptavi mihi.» Hic Donato assentior adnotanti: «Mire *inde* subiungit, cum personam praetulerit»; pro *inde...* maiorem potius *ex iis...* maiorem vel *de iis...* maiorem vel *eorum...* maiorem dici exspectaveris.

Videamus obiter, quatenus linguae Romanicae

a Latinitate similem usum translatum adverbiorum pro hereditate acceperint. Verba Micionis, quae modo protuli, in linguam Italicam ita converterim: «Sono nati due figli; io *ne* ho adottato questo maggiore» (vel: «...io ho adottato il maggiore *di loro*»); Francogallice eadem ita reddiderim: «Il est né deux fils; moi, j'*en* ai adopté un, l'aîné» (vel «...j'ai adopté l'un *d'eux*, l'aîné»). Ergo in his quoque linguis partitiva relatio non solum elocutionibus praepositionalibus (*di loro* et *d'eux*), sed etiam adverbii pronominalibus atonis *ne* et *en* exprimi potest, quibus ambobus *inde* Latinum etymologice continuatur. Hispanice autem dici non potest nisi «Nacieron dos niños; yo adopté a este mayor *de ellos*». Deest adverbium locale Hispanicum, quo elocutio *de ellos* compensetur; *ende*, in quam formam *inde* Latinum mutatum est, hodie non vivit nisi in phrasi litteraria *por ende*.

Pauca addiderim de elocutione *eo zelotypiae* pro *in eam zelotypiam* sive *in tantam zelotypiam* adhibita. Hac ratione genitivus partitivus nondum apud Plautum et Terentium adverbio locali regitur nisi in phrasibus pure localibus, qualis est Plaut. Rud. 469 «*ubi* tu es *gentium?*». Cicero in pervulgata exclamazione «*Ubinam gentium sumus!*» (Or. Catil. 1,4,9) genetivo partitivo *gentium* non modo, quanta sit indignatione commotus, senatoribus ostendit, sed ab eisdem vult quaerere, *in qua alia omnium gentium* status rei publicae tam turpiter labefactari possit. Tales autem elocutiones, in quibus adverbii *eo* et *huc* et *quo* abstracta substantiva in genetivo partitivo posita annectuntur, apud Ciceronem non occurrunt; inde a Sallustio demum usurpari coeptae sunt. Plurima exempla apud Tacitum reperiuntur. Satis sit hic strictim tria proferre exempla: unum Sallustianum (Iug. 1,5) *eo magnitudinis* (pro *in eam magnitudinem*), alterum Livianum (28,27,12) *quo amentiae* (pro *in quantam amentiam*), tertium Taciteum (Ann. 3,73,1) *huc adrogantiae* (pro *in hanc adrogantiam*).

\*  
\* \*

Certas causas, de quibus adverbia tam frequenter pro elocutionibus praepositionalibus substituuntur, oportet definiamus. Ex iis una est, quod adverbia plerumque usu commodiora sunt quam elocutiones praepositionales, in quibus semper numerus et genus correlati respici debent; e.g. adverbium *inde* elocutionibus *ab/ex/de eo/ea/iis* respondet. Interdum accedit alia causa, quae nuncupari potest defocusatio personae. Ad defocusandam sive abscondendam personam tendit Catullus, cum in quodam carmine nuptiali ita canit (61,151-153): «Nupta, tu quoque, quae tuus / vir petet, cave ne neges, / ni petitum *aliunde*

eat»; sponsus fortasse offensus esset, si poeta pro aliunde sine ambagibus ab alia vel ab aliis (mulieribus) cecinisset. In exclamatione autem redde huc! supra examinata non de defocusatione, sed de ostentatione personae agitur. Uxor illa personam suam a marito neglectam ostentat: «nonne me, quae hic adsum, vel paululum exaudire dignaris?» Simile studium personae ostentandae prope in quavis lingua invenitur: Theodisce dici potest Gib her! pro Gib mir!, Finnice Anna tänne! pro Anna minulle!

In Finnico sermone idiomatica est elocutio täältä pesee, quae vix in ullam aliam linguam peregrinam per se transferri potest. Si mihi contingeret, ut aliquem militem Romanum antiquum e mortuis excitarem atque verbum verbo reddens ei: «Hinc lavatur!» exclamarem, vix quicquam responsi ferrem. Necesse mihi esset lucidiore elocutione uti, e.g. «Hinc vapulabis!» sive «A me vapulabis.» Tum ille statim intellexeret ac fortasse irritatus stricto gladio responderet: «Ego certe istinc non vapulabo - istinc, dico a te!» Videmus igitur secundam personam sub adverbio istinc latere, sicut in Ciceroniano exemplo «quod exspectem istinc, magis habeo, quam quod ipse scribam» (Epist. Att. 3,10,3).

Denique e canticula quadam Finnica, cui titulus est 'Samba fatalis', exemplum profero. Protagonista fabulae in ea narratae est vir innocens nomine Kalle Tappinen (= Carolus Paxillarius), qui contra, ac maritus initio sermonis mei laudatus, muneribus diurnis peractis non statim domum revertitur, sed in cauponam digressus «in choreas miro modo tandem incidit». Ibi Tamara, virgo venustissima, eum ultro adit et sambam saltare docet. Quo fit, ut maritus uxoris et duodecim liberorum omnino oblitus cum Tamara saltationi et vino sumendo totum se dedat, et quidem personam suam ostentans cum hac voce: «Certe hinc expensae cunctae persolventur!» In ultima strophā Kalle Tappinen se profecto omnia persolvisse intellegit.

Hanc canticulam ipsa vita maiorem Thomas Pekkanen in Latinum transferens versui, quem modo attigi, aliam formam dedit: «Meis sumptibus hoc festum celebretur!» Infra idem versus quinque diversis elocutionibus Latine redditus est, quarum sua quaeque ratione primam personam ostentat.

«Certe hinc expensae cunctae persolventur!» (EP)

«Certe hic ephebus omnia persolvat!» (EP)

«Certe cunctas egomet expensas solvam!» (EP)

«Equidem sum omnes sumptus soluturus!» (TP)

«Meis sumptibus hoc festum celebretur!» (TP)

SAMBA FATALIS

Canticula a G. Malmstén composita,  
a T. Pekkanen Latine reddita



1.

Sic perquam innocenter,  
nequaquam fraudulenter  
sub vespere cauponam petit Kalle Tappinen,  
ut poculum potaret -  
id nemo dubitaret -,  
sed in choreas miro modo tandem incidit.  
O caramba,  
erat samba  
rhythmus novus et saltatio moderna.  
Quem amorem,  
dein dolorem  
tum inopinanter viro nostro vesper attulit.

2.

Post poculum potatum  
et alterum allatum  
advenit virgo, cuius erat pulchra facies.  
«Sum equidem Tamara,  
res vix erit amara,  
in hanc choream si vir mecum statim venies.  
O caramba,  
illa samba  
velut facta nobis esse videatur.  
Ergo frater,  
ne sis ater,  
nam te huius rhythmī primos passus iamiam  
doceo.»

3.

«At audias, Tamara,  
est uxor mea Sara,  
quae procreavit filios iam mihi plurimos.

Res vix videtur bona,  
quod vir est in caupona,  
iam sentio de hac re morsus mentis pessimos.»  
«O caramba,  
in hac samba»,  
dixit illi tum pulcherrima Tamara,  
«merge duras  
tuas curas,  
nam haec res nequaquam male nobis iam evenerit.»


4.

Est factum vinis multis  
et cibus satis cultis,  
ut tota mente laetaretur Kalle Tappinen.  
Oblitus suae Sarae  
is faciem Tamarae  
nunc videt saltabundus nec de suis cogitat.  
«O caramba,  
sonet samba,  
meis sumptibus hoc festum celebretur!  
Prosit tibi,  
prosit mihi,  
licet quicquid fructuum agellus fert consumpserim!»

5.

Cum dies dilucescit,  
ut larva vir pallescit,  
qui solus secum sedet noster Kalle  
Tappinen.  
Is male se habebat,  
rem mente repetebat,  
nam cum pecuniis puella iam abierat.  
«Heu caramba,  
cara samba»,  
exsecratur Tappinen et meditatur:  
«Apud Saram  
meam caram  
cena villor fuisset cum choreis patriis.»

20



*Cum agatur de amici nostri acroasi, de samba atque de Kalle Tappinen nunc non paucis notissimo, facere non possumus quin seminarium Siciliense memoremus, inter quod recitata est haec acroasis non sine ingenti sambae successu; in hoc photographemate nonnulli participes se agnoscent fata nostri Kalle Tappinen vehementer celebrantes, Erico Palmén chorago...*

## DE VENENIS BREVIS HISTORIA (II)

CONSCRIPTA A GAIO LICOPPE

**I**n Europa occidentali, primis Medii Aevi saeculis, id quod superest ex antiqua scientia pertinet ad solos clericos. Ordines religiosi, ut Fratres Praedicatorum, populo proximi sunt et societatem humanam artissime regunt, ut nostris temporibus marxistae. Non solum animas curant, sed etiam corpora; soli sunt medici.

Ab undecimo saeculo in compluribus conciliis disputatur de statu illorum clericorum-medicorum. In fine statuitur clerico non licere medici munere fungi. Monaci tamen sibi servant vitium culturam, quam dilatant. Ipsi faciunt vinum et in regionibus septentrionalibus etiam cervesiam lupulo conditam. Propter dogma transsubstantiationis, quo vinum sanguini Christi adsimulatur, orbis Christianus iure et merito vinum colit.

Albertus Magnus (1193-1280), monachus Dominicanus, magister Sancti Thomae Aquinatis, unus est e doctissimis Medii Aevi hominibus. Parisiis tot ei sunt discipuli, ut sub divo in quadam platea docere debeat; cuius rei mira superest memoria: haec enim platea adhuc vocatur «place Maubert» (*Maubert* est contractio Magistri Alberti). Albertus scientiam suam e fontibus Arabicis et Iudaicis hausit. Eius calendarium (*almanach*; *le Grand et le Petit Albert*), drogis remediisque refertum, diu est in usu in Francogallicis pagis.

Hildegardis (1098-1179), abbatissa Benedictina monasterii Rhenani, librum conscribit, in quo de plantis medicinalibus tractat atque multa de Dioscoridis, Theophrasti et Galeni therapeuticis depromit. Hildegardis, patrocinio Paparum Adriani IV et Alexandri III atque imperatorum Conradi et Friderici I utens, medicinam exercet, id quod Medii Aevi temporibus raro conceditur feminis.

Medicina scholastica nascitur in studiorum universitatibus Salerni et Montis Pessulani (v. Montpellier). Universitas Salernitana, prima in Europa, instituit cathedram medicinae, qua recipitur scientia medica ab Arabibus Medio Aevo collecta (XI-XII saec.). Fama fert Arnaldum de Villa Nova (1235-1313) Salernitanum primum fuisse, qui alembico usus e vino extrahere valuit «spiritum vini», quem nunc ex Arabico sermone vocamus alcohol.

Tertio decimo saeculo crucigeri secum ex Oriente referunt papaver, quod sine mora commiscetur cum theriaca. Sunt qui dicant

famosum Dominicanum Hieronymum Savonarolam suas ecstáticas visiones habuisse propter usum papaveris.

Theophrastus Bombastus de Hohenheim (1493-1541), doctor Paracelsus vocatus, potionem facit e papavere, quam medicus Anglus Sydenham nomine anno 1660 perficiet et «laudanum» vocabit.

Rogerus Salernitanus in «Manuscripto de Chirurgia» suadet ut spongia hyoscyamo imbuta ponatur in ore et naso hominum, qui sectionem chirurgicam subire debent, ad anaesthesiam obtinendam; interdum vero haec anaesthesia est lethalis.



*Ramus theae - in: E. Kaempfer, Amoenitatum exoticarum politico-physico-medicarum fasciculi quinque, Lemgo 1712.*

In regionibus Islamicis Corano vetatur alcohol ingerere, quacumque in potione. Nihil tamen ibi dictum est de cannabi Indica, unde factum est ut eius usus apud Mahumetanos valde dilataretur.

Cafeae inventum satis obscurum est. Arbuscula cafeae originem Africanam habere videtur. Fama fert quendam pastorem doluisse quod suae caprae contra consuetudinem totam noctem vigilabant et saltabant. De causa huius phaenomeni interrogatus, quidam monachus



Ramus cafeae

observavit hoc fieri propterea quod caprae fructus comedebant certae arbusculae. Ipse rem experiri voluit atque, cum animadvertisset horum fructuum decoctionem animum excitare ad vigilandum, eam ceteris monachis praebuit, ne dormirent inter officia nocturna. Fabula annon? nescimus.

Contra, non dubium est quin cafeae decoctio anno 1550 iam aestimata sit Constantinopoli in aula Suleimani Magnifici. Vocabuli cafeae etymologia etiam est obscura; vocabula originalia Arabica *caconah* (non esurire) vel *cacouah* (vis, virtus) proposita sunt, sed sine ulla certitudine.

Anno 1643, Ludovico XIV regnante, Parisienses cafeam inveniunt in taberna generis novi, quam Siculus nomine Procopius dei Cultelli instituit ad eam potionem praebendam. Hoc «Cafeum Procopii» frequentaverunt illustres viri ut Diderot, d'Alembert, Voltaire..., qui usque vicena pocula cafeae cottidie sorbillare solebant!

Thea autem in Europam importata est a Nederlandis et Anglis. Nicolaus Dirx, medicus Nederlandus cuius nomen Latinum Tulpium magis notum est, anno 1641 opus edidit cui titulus est «Observationum medicarum libri tres», in quo inter primos celebrat medicinales theae virtutes. Scitu dignum est clarum pictorem Rembrandt ipsum Tulpium depinxisse in pernota tabula, quae vocatur «Demonstratio anatomiae». ☛

(continuabitur)

## DE POTU IAPONENSIUM

Imprimis vero ipsi non minus ac Chinenses delectantur haustibus aquae paene ferventis, insperso pulvere Tsiae<sup>1</sup>. Herba est Tsia non tantum ipsa viridis coloris, sed quemlibet etiam liquorem eo imbuens colore; in certis non omnibus crescit regionibus; eius quaedam praestantiora folia magno censentur pretio. Divites haec in urceis duarum Hollandicarum mensurarum, vel quattuor, asservant; in singulis nimirum unum vel alterum optimae speciei parvum fasciculum iniiciunt, et deinde accurate orificium claudunt ad aeris ingressum prohibendum. Teruntur illa folia in pulverem mola simili huic, quam nostrates ad sinapi comminuendum usurpant; atque huius pulveris quantum acies cultri admittit, in aquam paene fervidam contentam fictili patera seu scypho eleganti quales porcellanas vocant iniiciunt et peculiari ad hoc opus instrumento commiscent, ut tota aqua viridi colore tingatur; hoc facto, sorbillando aquam calidam ebibunt.

Saluberrimum hoc potionis genus et gustu suave esse dicitur, imprimis pro delendis crapulae praecedentis diei molestiis et omnibus pituitosis affectibus, et vulgus proverbio dicere solet de divitibus: *Illene sanus non sit? bibit de optima Tsia*. Pulvis ipse magno pretio venit, eiusque propinationem sollemnes praecedunt epulae; quin etiam certae aedium partes dicantur hisce conviviis, quarum est mira mundities.

Circa eam potionem diligentissimi sunt, ac principes interdum viri suis ipsi manibus eidem temperandae ac miscendae, amicorum honoris causa, dant operam. In aedium partibus huic ministerio dicatis focolus assidue stat, cortina e ferro liquato superposita; inde venientibus et abeuntibus amicis pocula porrigunt: hospitibus vero in digressu contemplandam etiam offerunt gazam, quae apud eos maximi fit: ea ferme sunt illius quam dixi potionis instrumenta, focus et olla cum tripode, infundibulum, figlini calices, cochlearia et vascula, tum herbae ipsi, tum pulveri qui ex ea conficitur asservando.

<sup>1</sup> i.e. thea.

Bernhardus Varenius, *Descriptio regni Iaponiae*, Amstelodami apud Ludovicum Elzevirium, 1649, pp. 161-163.

# CARMEN FRANCISCI FORTINI

PROPONIT IOHANNES CAROLVS ROSSI

De poeta ipso pauca, sicut ei placuisset: Franciscus Fortini Florentiae natus, Mediolani, ubi iamdudum degebat, anno huius saeculi XCIV, aetatis suae LXXVII, mortuus est; omni eruditione ornatus, a multis loco magistri habitus est propter morum integritatem studiumque iustitiae; acri iudicio, indole contumaci, popularibus strenue favit, at nemini fuit obnoxius, id quod raro intelligentibus contigit; eius carmina Iulius Einaudi editor decursu annorum collegit typisque impressit; paulo ante quam diem supremum obiret, libello, cui titulus Latinus «Composita solvantur» postrema sua carmina mandavit, ex quibus unum Latina lingua singulariter ac necopinata expressit.

Quod carmen, nonnullis mendis typographicis purgatum, exscribo.

*Transi hospes...*

Transi hospes et orna mensam  
et ne differas de die in diem.  
Repulsa est a pace anima mea.  
Tetigit etiam ventus urens  
et fructus eius destrinxit.

Transi hospes et orna  
mensam. Solem nube tectum  
cernimus nec de caelo  
nobis fulget luna.

## BIBLIOTHECA LATINA

Pro dolor spatium non suppeditat ad omnes libros proponendos, qui nobis sunt his temporibus allati. Itaque, cum sit initium anni academici, agatur imprimis de libris scholasticis; de ceteris proxima occasione.

Felices sunt magistri Itali et Hispani, qui in manu nunc habeant optima instrumenta, quibus linguam Latinam modo vivo et delectabili doceant. Sunt enim maxime commendanda haec opera:

- **M. BALME, J. MORWOOD, versio Hispanica D. PARDO, J.M. SANCHEZ, *Latín*, Oxford Educación, Oxford University Press, 2000.** Tam delectabilis liber magistris linguae Latinae raro offertur: non solum est optimus et imaginibus pulcherrime illustratus, sed auctores etiam bene ostenderunt Latinitatem esse perennem; nam discipulis etiam monstratur Latinitas mediaevalis, recentior et recentissima (insunt enim Nuntii Latini), quo melius intellegant linguam Latinam esse Europae linguam culturalem. Utinam mox etiam in aliis regionibus hic liber praebeat!


- **H. ØRBERG, *Lingua Latina per se illustrata. Latine doceo. Guida per gli insegnanti, parte I: Familia Romana*, a cura di Luigi Miraglia, Montella, Istituto Italiano per gli Studi Filosofici / Accademia Vivarium Novum, 1997.** In eadem serie et eadem domo editoria: ***Latine disco*, 1999.** Excellentissima methodus Iohannis Ørberg, qua discipuli Latine discunt naturaliter et quasi miraculose, non amplius est laudanda, cum ubique terrarum iam sit iure et merito plurimi aestimata. Aloisius Miraglia eiusque cooperatores novam editionem hic proponunt Italis magistris peculiariter destinata atque adaptata, multis adiunctis explicationibus quae et magistro et discipulo erunt auxilio. Ad idem propositum pertinet methodus Graeca c.t. ATHENAZE, cuius adaptatio Italica ab eadem domo editoria est proposita: **M. BALME, G. LAWALL, L. MIRAGLIA, T.F. BORRI, ATHENAZE. *Introduzione al greco antico, Volume I*, Montella, Accademia Vivarium Novum, 1999.**

# ARENARIA

COMPOSVIT IOHANNES CLAVDIVS CHAMPEAV


In quodam fasciculo ex commentariis quibus titulus est Vox Latina, scilicet in quarto fasciculo anni 1966, p. 72, ludum comperi KAIMATON appellatum, quod verbum mihi e Graeco ὁ κημός ductum videtur, id est «nassa» (ad pisces capiendos apta). Nam hic ludus consistit in quadris per transversum directis, quae quadrae a prima linea ad ultimam numero deminuuntur singillatim. In his quadris inscribuntur litterae ad vocabula confingenda, quae definitionibus adiunctis reperienda sint. Porro autem vocabula universa hoc praecepto vincuntur: «Lector, omite litterarum unam, permisce reliquas ad novum verbum conficiendum!» Tamen nullum exstat ad perpendicularum verbum, quod est contrarium ludo nuncupato «verba decussatim scripta» vel «reticulatim» vel «verba cruciformia» vel - horresco scribens - «verba cruciata» vel «verba cancellata» (cruciverbium).

Sed etiam ab uxore mihi subiectum est hanc conformationem duplicari et ARENARIUM nuncupari posse. Arenaria composui, quibus fiunt nonnullae metamorphoses: canis → felis; avis → apis; pater → mater; Daphne → laurus... Ecce flumina in Oceanum influentes; omite litterarum unam, permisce reliquas ad sequens verbum inventiendum:



- Oculi (est altera solutio!: discipuli)
- Terrae satellitem
- Sic feci hoc arenarium
- Sic nunc ipsum ludimus
- Coniunctio (altera definitio: Didonis sororis dimidia pars!)
- Praepositio
- Haud magna pecunia est, mehercule!
- Utinam ne sit alienum!
- Amputa
- Latrant, non loquuntur, dixit Cicero (vel: cantabis)
- Promunturium ad fretum Siculum spectans

Nunc Daphne in laurum mutatur:



- De velis agitur, in navarchi ore
- Eo vescitur musculus
- Insula in Aegeo
- Haec, de qua agitur
- Praepositio
- Haud magna pecunia!
- Non aliena
- Sub poplite
- Avis riparia et maritima

# DE PRONUNTIATV LINGVAE LATINAE

SIMPLICISSIME NARRAT FRANCISCA DERAEDT

**I**nitio saeculi vicesimi magnae differentiae intererant inter varios linguae Latinae pronuntiatu. Itali aliter pronuntiare solebant, aliter Angli, aliter Germani, ceteri etiam aliter, atque Francogalli, si verbum Latinum proferebant, a nemine intellegebantur<sup>1</sup>. Nam non solum in omnibus verbis accentum indefesse ponebant in unam eandemque syllabam, id est ultimam, sed insuper propter peculiarem pronuntiandi morem multa verba confundebant, quae sunt exempli gratia: «servus» et «cervus», «sinceram» et «senseram».

Aliquid manifesto erat faciendum. Initio vicesimi saeculi philologi consenserunt pronuntiatum esse curandum. «Inde, dixerunt, vita linguae Latinae, quae continuatur in linguis Romanicis, erit magis illustris, magis sensibilis, non iam solum theoretica. Quid insuper? Nonne videmus festucam in oculo fratris nostri, cum trabem in oculo nostro non videmus? Nam hodiernos Graecos reprehendimus quod Sophoclem et Platonem legunt pronuntiatu moderno; quid autem nos facimus? Nonne Ciceronem et Vergilium eodem modo tractamus?»<sup>2</sup> Et quidem recte dixerunt.

Problema tamen non erat novum. Iam diu manifestata erat necessitas recte pronuntiandi. Nec sine causa! Duo exempla praebeamus.

Erasmus in opere «De recta Latini Graecique sermonis pronuntiatione» (a. 1528)<sup>3</sup> narrat haec: aliquando oratores extranei Latine salutare debuerunt imperatorem Maximilianum. Primus locutus est quidam Gallus, sed tam Gallice pronuntiavit ut omnes aperte riderent. Tunc fuit respondendum. Doctor quidam Germanus sic incepit: «*Caesarea maghestas pene caudet fidere fos, et horationem festram lipenter audifit*»<sup>4</sup>... omnes etiam magis riserunt. Secuti sunt duo alii oratores: alter Danus, alter Zelandus; «deierasses, ait Erasmus, neutrum loqui Latine».

Alterum exemplum - quamquam sescenta huius generis proponi possunt - pertinet ad scriptorem Francogallum cui nomen est Ludovicus de Saint Simon<sup>5</sup>. Qui, cum anno 1722 iter faceret in Hispaniam, Toleti sollempniter exceptus est ab archiepiscopo eiusque nepotibus. Cum eos Latine alloqueretur, unus e nepotibus nihil intellegens rogavit ut lingua Latina potius uteretur... nam non animadverterat ea verba mire pronuntiatu esse

verba Latina.

Ex his exemplis patet bonum pronuntiatum esse maximi momenti. Quid prodest lingua internationalis, si propter varios pronuntiatu nemo ceteros intellegere valet? Esset altera quaedam turris Babylonica, in qua homines eadem lingua utentes inter se non intellegerent - spectaculum surrealisticum!

Tamen nolimus esse Papaliores quam Papa. Iam Medio Aevo diversi pronuntiatu adhibebantur in regionibus diversis. Sed docti et legati et ecclesiastici et humanistae et scientifici usque ad nostra tempora doctrinas et nuntios et inventa Latine communicaverunt cum collegis extraneis, qui, quantum scimus, haec communicata sine difficultate acceperunt. Nos autem ad perfectionem pronuntiandi numquam pervenimus, imprimis quia perfectio non est humana, deinde quia nobis deest phonocasetta a Cicerone confecta. Itaque poni possunt tres regulae generales et (satis) simplices<sup>6</sup>:

1. clare et distincte, ut ait Cartesius, omnes consonantes et vocales et syllabas pronuntiare;
2. distinguere inter vocales breves et longas; sic aliquando sciemus quid intersit inter *ōs* et *ōs*, *lēvis* et *lēvis*, *pōpulus* et *pōpulus*, *ānus* et *ānus*, *mālum* et *mālum*, *decidere* et *decidere*...;
3. accentum ponere in recta syllaba.

Nam scopus non est colores patrios omnino delere (quod insuper fieri non potest), sed intellectum adiuvaré!

## ADNOTATIONES

<sup>1</sup> Cfr R. Waltz, *Manuel élémentaire et pratique de prononciation du latin*, Paris, Fontemoing, 1913, p. VI.

<sup>2</sup> *ibid.* p. VIII.

<sup>3</sup> 920-936; in: *Opera omnia Desiderii Erasmi Roterodami*, IV, North-Holland Publishing Company Amsterdam, 1973, p. 100.

<sup>4</sup> Sic scriptum in textu!

<sup>5</sup> Narratur in: F. Waquet, *Le latin ou l'empire d'un signe (XVI-XX s.)*, Paris, Albin Michel, *L'évolution de l'humanité*, 1998, p. 194.

<sup>6</sup> Propositae a prof. Erico Burck inter primum conventum Avignonensem: Premier congrès international pour le latin vivant, Avignon 3-6 sept. 1956, ed. Aubanel, p. 61-62.